



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vnica Religione, Stvdio Catholicorvm Principvm, In
Repyblica Conservanda, Liber vnus**

Lens, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1579

VD16 L 1181

Dissoluuntur argumenta quaedam, ex ratione scripturisque petita, quae
supradicta conuellere videantur. Cap. X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30005

dubitauit, ciuem Romanū se esse proclamās:
 quos tum affligi verberibus non licebat. De-
 nique ne Iudæis ipsum interimere cupienti-
 bus traderetur, Cæsar̄is poposcit auxilium,
 Romani quidē principis, sed minimè Chri-
 stiani. Quibus factis suis nō id satis ostendit
 quid facere postea deberent Christi dispensa-
 tores, quando imperatores Christianos peri-
 clitante Ecclesia reperient? Sic igitur tempo-
 rum ordo voluebatur, vt prius Iudæi atque
 gentiles Christum eiusq; præcones occiderēt,
 ac se interim his factis arbitrarētur obsequiū
 præstare Deo, dum scilicet impleretur illud:
 Quare fremuerūt gentes, & populi meditati
 sunt inania? Astiterunt reges terræ, & princi- *Psalm. 2.*
 pes conuenerunt in vnum, aduersus Domi-
 num, & aduersus Christum eius. Inter quos
 inimicorum crucis Christi furores, elucebat
 inuicta Martyrum patientia, sanguisque ille
 tot in locis effusus, velut multiplicādis Chri-
 stianis semina copiosè præbebat. Postea verò
 cum impletum esset illud: Et adorabunt eum
 omnes reges terræ, omnes gentes seruiant ei; *Psalm. 31.*
 ipsi illi reges terræq; principes ad Christi re-
 gnum honorēmque tuendum, scepra sua &
 vires conferre debuerunt.

*Dissoluuntur argumenta quadam, ex ratione
 scripturisq; petita, qua supradicta conuellerentur.*

CAPVT X.

NEquè verò est quod quisquam dicat ijs-
 dem artibus regnū facile retineri, qui-
 bus

bus initio partum sit; Quare si humilitatis & patientiæ virtute, partum est Christi regnum, tam florens & amplum, neque inferendis auctum est supplicijs, sed perferendis: iisdem prorsus nunc artibus retineri oportere. Primum enim perferendis supplicijs creuit eousque, vt & reges ei seruire possent supplicijs inferendis. In quo quidem officio, propria est regum seruitus quatenus sunt reges, vt eo pacto, cum necesse est, ecclesiam tueri conentur. Deinde hoc interim verissimum est, vti patientiæ virtute partum est initio Christi regnum, ita nunc quoque eadem retineri. Quis enim neget magna patientia tam multos superbos, tam multos ebriosos, tam multos omnis penè generis peccatores in Ecclesia tolerari: inter quos boni gemere coguntur & lugere, magnâq; vigilâtia niti, ne quandoque victi humana quadam amicitia, vitæ consortio maculentur? Si patientiæ virtute non esset modò quoque retinendum Christi regnum, cur diceret Apostolus Timotheo:

2. Tim. 4. Argue, obsecra, increpa in patientia & doctrina? & rursus: Seruum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati? Quis vel seipsum sustinet, vel proximi supportat infirmitatem sine patientia? Deniq; omnes quia quod non videmus speramus, per patientiam expectamus: istâque patientia in Christi regno retinemur. Impatientia verò schismaticos & hæreticos facit, & ad Iudæorum similitudinem

nem contra Christi pacem & charitatem re-
 belles, ad hostilia & furiosa odia compellit, *Vide Cyp. serm. de Patientia.*
 inquit D. Cyprianus. Contra quos aliud ac-
 cessit progressu temporū, quo retineri etiam
 Christi regnum possit: cum nempe filios Ec-
 clesia habere cœpit ea præditos potestate, vt
 ferro quocq; & armis pro illa depugnare pos-
 sent. Quibus pro Christi cui seruiunt causa:
 pro religione, per quam solam ijs aditus ad
 veram fœlicitatem patet: pro Ecclesia matre,
 quæ illos in Christo genuit, fouit, educavit:
 vt sese non moueant, nemo profectò mente
 sobrius dicturus est. Aiunt tamen parum ista
 congruere vaticinio Isaiaæ Prophetæ, à quo *Esaiæ. 2.*
 prædictum esse videatur, vsum gladij inter
 filios noui testamenti cessaturum: Contun-
 dent enim (inquit) gladios suos in vomeres,
 & lanceas hastasque in falces; neque vltra, aut
 bellum addiscent, aut prælio assuescent. Hoc
 illi proferre solent, qui cum sibi malè con-
 scij sint, impunitatem interim poscūt: quam
 vt concedi commonstrent oportere, tota ve-
 xant Biblia, vt ab ijs aliquod vel frigidum te-
 stimonium extorqueant. Apud quos tamen
 cum adest potestas, magis illud semper valet:
 quod ait Poeta:

Et curua rigidum falces constantur in ense.

Sed eorū iam mittamus gladios quos prom-
 ptissimè in Catholicos exerūt. Quid si com-
 munis exurgat hostis omnium eorum qui
 nomen Christianum profitentur? num hic
 opprimi se patientur reges Christiani? Et vt
 proprias ipsi coronas debeant parui pendere,
 Christi

Verg. lib.

1. Georg.

*Hist. Eu-
sebij: lib.
9. cap. 8.*

Christi gloriam nulla dignam defensione iudicabunt? tot Christianis animabus, ne sub Antichristi dominatu miserabiliter intereant, nullam opem sui praesidij censebunt afferendam? Quid tot imperatorum & regum Christianorum aduersus Gotthos, Vandalos, Hunos, Saxones, Normanos, Longobardos, Machometistas arma & praelia loquuntur? Quid Armeniorum olim gens, vtilissima & amicissima populo Romano? quae cum, Maximino tyrannidem in pios exercente, Christianae religionis ritum in idolorum cultum mutare cogeretur, & daemones venerari pro Deo, inimica & aduersaria effecta est: manumque se aduersus eius edicta defendere parauit; ac sponte bellum intulit. Haec igitur omnia num ita quisquam improbada censebit, vt dicat non debuisse filios noui testamenti falces suas in gladios conuertere, contra Isaiae vaticinium? Imo verò quonam modo potest illud Isaiae praedixisse videri, nec defensuros quidem se gladio Christianos aduersus suae religionis hostes, cum hoc eos sapissimè constet summo omnium bonorum consensu & ardore fecisse? Non hoc igitur praedixit, quia factum esset indubiè si praedixisset: verum vim gratiae noui testamèti propheta diuinus expressit: qua tam admirabilis, adeoque stupenda hominum metamorphosis effecta est, vt qui antea Christi ecclesiam hostili oppugnatione vastabant, iidem postea Christianam fidem amplexi, eiusdem Ecclesiae spirituales fierent agricolae: qui & vomere praedicationis peccatorum

catorum corda verterent ad satus diuinos accipiendos, & eiusdem prædicationis tãquam falce quadam, albos ad messem populos colligerent in regna cælorum. Nam illud quod prætendunt hæretici si prædixisse propheta putandus est, quonã modo vaticinatus est ex eodem spiritu Zacharias propheta de tempore noui testamenti hunc in modum? ^{Cap. 13.} In die illa (inquit) erit fons patens domui Dauid & habitatibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatae. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituũ, disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltra: & pseudopphetas & spiritum immũdum auferam de terra: & erit cum prophetauerit quispiam vltra, dicent ei pater eius & mater eius qui genuerunt eum: Non viues, quia mendacium loquutus es in nomine Domini. Et configent eum pater eius & mater genitores eius cũ prophetauerit. Tam pius in Deum mentes fore propheta significat, vt qui aduersus religionem quippiam protulerint, dignine illi morte sint non expectetur publicum iudicium, sed pereant qui tales sunt (inquit D. Hieronymus) etiam sententia propinquorum. Vsq̃ue adeo paterni materniq̃ affectus homines obliuiscuntur, quo Dei retineãt in vna vera religione seruitutem. Obijciunt nihilominus hæretici, & qui eorum in hac causa partes agunt: cognita Christi mansuetudine, Christianos clementes esse decere, nullaque, præsertim in causa religionis ac fidei, seueritate vti; præferrẽque illata supplicia,

non inferre. Sed errat vehementer quisquis hæc ea mente dicit, vt putet cum feueritate disciplinæ, mansuetudinem clementiamque constare non posse. Quis enim Moysen primum Israhelitici populi ducem mansuetum fuisse neget? cum etiam mansuetissimū fuisse omnium hominum, quos tum quidem terrarum orbis haberet, diuina scriptura testetur. Atque is tamen, idololatria populi cognita, tantam indignationem præ se tulit, vt quas *Num. 22.* de monte tabulas afferebat, ad radicem montis proiectas confringeret: tantæque est ira ad vltionem inflammatus, vt adiunctis sibi Leuitis, nec fratribus, nec amicis, nec proximis parci voluerit: tantæque tum est hominum illius iussu edita strages, vt circiter trigintatrimilia hominum gladius absumpserit. An non mansuetus & mitis Samuel? & tamen cum illi oblatus esset pinguis Agag tremens, repente seum in frustra concidit, cui vitiosa clementia rex Saul vitam antea donauerat. Puto & Mathatiam Iudaici populi sacerdotem ac principem laudatissimum, fuisse clementem: & tamen sacrificantem idolis Iudæum, accensus ira secundum iudicium legis, super ipsam aram trucidauit: simulque virum eum, quem rex miserat Antiochus vt sacrificare cogeret, occidit ipso in tempore, & aram euertit. Atque ob hæc facta laudatur à scriptura: quod nimirum, sicut Phinees, zelatus sit legem Dei. Quæ filius eius Iudas imitatus, eodem zelo perscrutabatur iniquos, qui *1. Mach. 2.* populū eius conturbabant, flammisque succendebat, *1. Mach. 3.*

debat. Et quid alios hisce confimiles commemorem? Christus Dominus, nonne mitis & mansuetus? imò nonne clementiæ totius uiuum & perfectum exemplar? & is tamen factus sibi flagello, ementes vendentesq; templo eiecit, & mēsas nummulariorum, ac vendentium columbas euertit, illud de se conscriptū implens vaticinium: Zelus domus tuæ com-^{Ioan. 2.} edit me. Princeps Apostolorum Petrus Ananiam & Saphiram, quia votum violassent, verbo interemit: nec eum tamen (opinor) fuisse clementem, aut noui testamenti filium, quisquam est negaturus. Ut igitur illi mansueti clementesq; fuerunt, ita principes Christianos, cæterosq; omnes clementes esse decet: nempe vt mansuetudinem ac misericordiam assiduè animis gerant, clementesq; se, quantum quidem in ipsis est situm, semper exhibeant. Si enim gentilium nō pauci, teste Am-^{Epist. 57.} brofio, gloriari soliti erant, quod incruentam de administratione prouinciali securim reuexissent: Quid Christiani facere debent, qui in Christi mansuetudine dicentis: Nec^{Ioan. 8.} ego te mulier condemnabo; propositum habent quod sequantur? Foris interim quod pro tempore, pro locis, pro ingenijs ac reipublicæ necessitate faciendum esse prudentia dictauerit, editis etiam seueritatis exemplis exequantur. Talis imperator Theodosius extitit, vir (Ambrosio teste) misericors, humilis imperio, corde puro & pectore mansueto: & is tamen non sine seueritate sacrilegos remouit errores, clausit impia templa, simulachra destru-

destruxit, bella gessit: è quibus tamen victo-
riam fide magis quàm armorum vi reporta-
uit. Quod si ea esset clementiæ mansuetudi-
nisq; ratio, vt nihil molestū, nihil durum, ni-
hil asperum cuiquam inferri ob scelus oport-
eret, quem rogo nunc ciuitatum, quem re-
gnorum ac prouinciarum omnium statum
haberemus? Saltem (aiunt quidam) leuiora
supplicia vt sint, tēporis ratio postulat. Nec
aduertunt nunc fures è medio morte tolli iu-
stissimis probatissimisq; principum ac ciui-
tatum legibus, cum solam dupli aut quadru-
pli pœnam lex vetus deposceret. Sed aliud
est quod vehementius vrgent, nempe exorta
nua quapiam religione in republica, sequē-
dum esse Principi Gamalielis iudicium atq;
consilium. Dixit enim ille cum de Christianis
interficiendis cogitaretur à quibusdam,
productis Theodæ & Iudæ Galilæi exemplis:
Et nunc itaque discedite ab hominibus istis,
& finite illos, quoniam si est ex hominibus
consilium hoc, aut opus dissoluetur: si verò
ex Deo, non poteritis dissoluere, ne fortè &
Deo repugnare videamini. Voluisse videtur
(aiunt) Gamaliel vir integerrimo iudicio,
noua atque inaudita proferentibus dogma-
ta, vim nullam esse faciendam: sed libera ijs
professione permessa, exitum esse præstolan-
dum: propterea quod si in errore illi ver-
sentur, nouasq; & à vero abhorrentes opinio-
nes, pro veritate venditent, eorum studium
conatusque omnis, vt in nihilum concidat,
vltroque euanescat necesse fit. Verùm con-
silium

Exodi. 22.

Actorū 5.

filium Gamalielis cum penitus inspicitur, non modo non eorum causam adiuvat, sed la-
befactat etiam atque subuertit. Nam si noluit
eos vlla vi coerceri, qui nouam de religione
doctrinam protulissent, cēsuitq; vltro & qua-
si sua sponte posse concidere quod Deum non
haberet authorem: quid sibi ergo volunt ex-
empla Theodæ & Iudæ Galilæi, quorum fu-
rorem non ignorabat armis fuisse repressum?
Fadum enim præsidem scribit Iosephus mis-
so exercitu, seductos à Theoda partim tradi-
disse neci, partim captiuos abduxisse, ipso
sublato seductionis authore: Cūm Fadus (in-
quit) prouinciam gubernaret, quidā vir Ma-
gus nomine Theodas, populis multis suafit,
vt fumentes substantias suas, sequerentur e-
um ad Iordanem fluuium; semetipsum asse-
rens esse prophetam, & præcepto fluuium di-
uidere, vt eis facilem transitum præberet. Hęc
ergo dicens seduxit multos. Non tamen per-
misit eos Fadus ad experimentum suæ insipi-
entiæ peruenire, sed repenti cohortem misit
equestrum super eos, quæ inopinatò irruens
multos peremit, plurimos autem viuos ce-
pit, ipsumq; Theodam deprehendentes capi-
tis sectione multauerunt. Et capite quinto e-
iusdem libri: Insuper (inquit) Iacobum & Si-
monem filios Iudæ Galilæi, qui populum à
Romanorum potestate subducere nitebātur,
sub Cirenio Iudææ præside, crucifigi Alexan-
der imperauit. Hęc igitur ab Iosepho con-
scripta, multoq; minus incognita Gamalie-
li, num significant non obuiam eundum esse

Ca. 4. li.
1. Ant.
quitatū.

pseudoprophetarum conatibus? non armorum vim cum viribus valent obijciendam? Quid illud etiam declarat, quod ceteri probato Gamalielis consilio, conuocatis Apostolis, ijsque cæsis denūciarunt, ne amplius quicquam de Christi nomine loquerentur? An nō satis fortasse quid diceret Gamaliel fuerant assequuti, sed istorum opera qui explicarent, indigebant? Hoc igitur Gamaliel, quod omnibus causis commune est, in causa quoque Apostolorum voluit obseruari: ne præcipitaretur ab ijs damnationis sententia, neque temerè crucifixi discipulos vt blasphemos, aut falsæ religionis authores è medio tollerent, cum nondum id satis exploratum haberent, diuinane esset an commentitia doctrina quam proferrent: sed differrent paulisper, reique exitum obseruarent. Nam si humanum figmentum esset, mox deprehensum iri: impietatem suo semet iudicio prodituram, continuoq; per ordinatas potestates, Deo sic comparante, comprimendam esse. Sic enim Theodæ ac Iudæ Galilæi cœpta, quod nullo Dei spiritu fulciebantur, in nihilū abiēre. At si quod ab illis traderetur, diuinitus esset patefactū, nullis molitionibus, nulloque hominum conatu euertendum esse. Contra hoc consilium nihil ab ijs agi qui manifestas, maturoq; iudicio damnatas hæreses armata manu, cum opus est, persequuntur, quiuis nūc (vt opinor) intelligit. Neque enim est Ecclesiæ infantia aut nuditas ea, vt adhuc ei difficile sit qualia sint hæreticorum dogmata, iudicare: sed certis-

tissis.

tissimas acceptæ à Christo doctrinæ fideique regulas sequens, quid salutare, quid noxium, quid amplectendum, quid fugiendum esset, sine omni semper errore perspexit. Quamobrem non id timendum, ne Deo fortasse repugnare velle videantur, qui hæreticorum & schismaticorum obfistunt conatibus: sed id verendum potius, ne illis nostra socordia magis, quàm virtute sua vincentibus, vera tandè religione iusto Dei iudicio spoliemur. Iam non illud magni est momenti, quod obijciunt ex Euangelio, discipulis vindictam poscentibus à Domino responsum esse: Nescitis *Luc. 9.* cuius spiritus estis? Filius hominis non venit animas perdere sed saluare. Ex quo loco Lutherus non dubitavit colligere, contra voluntatem spiritus esse, hæreticos extremis tradi supplicijs: Scilicet spiritus diuinus cum cæteras pestes è Republica profligari atque exterminari voluerit, eamque ob rem gladij ius ministris suis tribuerit, hanc vnam pernicie exuperantem reliquas ali voluerit ac foueri. Ergone cui blasphemos, cui religionis corruptores, populique seductores, cui homicidas, cui generatim maleficos perimere placuit: hic vt profligarentur hæretici, carnifices animarum crudelissimi, non satis æquum esse aut nõ expedire iudicauit? Et quid ergo Luthere causæ est, cur apud eos, qui te vfos præceptore se esse gaudebant, contra spiritus voluntatem tanta esset in Catholicos licentia gladiatorum, vt non modò pietatis, sed ipsius etiam humanitatis principia sublata esse

esse

Luc. 9.

esse viderentur? cum & crudelissimis odijs arderent animi atque oculi singulorum, & cædibus ac sanguine manus maderent, & bellis plusquam ciuilibus ciues committerentur? Illine sancte, iustè, vtiliter cuncta peregerunt, nos audire cum discipulis illis debebimus: Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare? Quamquam & Heliam supra meminimus, in suos Deique contemptores ignem è cælo deuocasse: neque id quin iuxta voluntatem spiritus à sancto propheta factum sit, dubitari potest. Cur igitur Catholicorum facta principum, non de huius potius comparatione probantur, quàm de illorum obiurgatione damnantur? In quibus quod est à Domino reprehensum, nullus est, qui ab ecclesia fieri putet, nisi qui ab ea sit alienus. Cum enim illos animaduerteret non correctionem amare eorum qui hospitium negauissent, sed odij amaritudine vindictam expetere: castigatos docuit propriæ quidem personæ iniuriam patienter & infractè ferendam esse: Diuinæ verò seruitutis iniuriam inultam relinquere, si spiritus voluntati probaretur, nunquam B. Apostolus Magum illum, qui proconsulem Paulum Sergium auertere à fide conabatur, cæcitate percussisset. Quod igitur ille fecit diuino indubiè spiritu incitatus, ne vnus salutis impediretur nequissimi hominis astutia: non id facerent principes tradita sibi potestate, ne innumerabiles animæ plurimorum circumcirca vagantium dolis serpentinis perderentur?

Et

Et tamen quanquam Dominus (inquit Augu-
stinus) per seruos suos regna subuertit erro-
ris, ipsos tamen homines, in quantum homi-
nes sunt, emendandos esse potius quàm per-
dendo: iubet. Et quicquid diuinitus ante vl-
timum iudicium vindicatur, siue per impro-
bos, siue per iustos, siue per scientes, siue per
nescientes, siue occultè, siue palam: non ad in-
teritum hominum, sed ad medicinam valere
credendum est: quam qui respuunt, æterno iu-
dicio præparantur. Nec igitur erit homini in
hominem sæuiendum, sed si quando pœnas
efflagitabit noxiâ hominum generi quorun-
dam improbitas, eâ sanandi vel præseruandi
misericordi animo, non intétione perdendi,
irrogandæ erunt. Quisquis enim in peccâtes
animaduertit, humanæ debet infirmitatis &
prauitatis ingenitæ, qua nec ipse careat, me-
minisse, eiusq; contemplatione lugere miserâ
dum hominis statum, neque nisi inuitus &
dolens ad inferendum supplicium trahi. Illi
(inquit Augustinus Manichæos alloquens) in
vos sæuiant, qui nesciunt, quo cum labore ve-
rum inueniatur, & quàm difficilè caueantur
errores. Illi in vos sæuiant, qui nesciunt quâ
rarum & arduum sit, carnalia phantasmata
piæ mentis serenitate superare. Illi in vos sæ-
uiant, qui nesciunt cum quanta difficul-
tate sanetur oculus interioris ho-
minis, vt possit intueri so-
lem suum.

Cap. 1. li.
cōtra epi-
stolā fun-
damentē
Mani-
chæi.

Li. cōtra
epistolam
fid. Ma-
nich. ca. 2

Christia-